

Anna Nata Lobedantzia, Corporis, Ingenii, Et Animi Lavde Cvmvlata, V. A. XXII. In Matrimonio VII. Eximia In Devm Pietate ... V. Non. Mart. MDCCXI. Sebastianvs Kortholtvs, Prof. Kilon. Vidvvs Svperstes Vix Svperstes M.F.C. Conivgi Qvam Ante Se Dilexit

[Kiel?], [1711]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1733151761>

Druck Freier  Zugang



Fragment of a paper label on the top left edge of the book cover.

II.
40
00



enth. 32 Stücke

J 2 II

1899 / 500

-40

ANNA NATA LOBEDANTZIA,
CORPORIS, INGENII, ET ANIMI LAVDE CVMVLATA,

V. A. XXII. IN MATRIMONIO VII.

EXIMIA IN DEVM PIETATE;

IN CONIVGEM FIDE,

IN LIBEROS KARITATE,

QVOS VTRIVSQVE SEXVS BINOS SIBI PRAEMISIT,

BINIS MARITO RELICTIS,

VT SEMPER VITAE INTEGERRIMAE,

SIC MORTIS PIAE DOCUMENTVM

PVERPERA DEDIT,

V. NON. MART. CIO MCCCXI.

SEBASTIANVS KORTHOLTVS,

PROF. KILON.

VIDVVS SVPERSTES VIX SVPERSTES

M. F. C.

CONIVGI QVAM ANTE SE DILEXIT.

AD CONIVGEM
TERTIO MARTII DIE,
ILLI EMORTVALI,
MIHI FVNESTISSIMO.

MEne fugis rerum o longe dulcissima coniux,
ANNA mihi vitae lumine cara magis?
Num mentem vanus stupefactam decipit error?
Sensibus an tribuam, luminibusque fidem?
Credibili citius cur te amplexu eripis arto?
Credibili citius cur, mea vita, fugis?
Hei mihi! pallenteis frigus subrepat in artus,
Vxor et ingravius deliquium recidit.
Lassa caput cervix haud sustinet amplius aegrum,
Deserit et partes linguaque mensque suas.
Vt tollat, minuatur malum, vel differat arte,
Dextra perita studet: fortius arte malum est.
Me miserum! languet magis ac magis: eluctantem
Extremis animam vix tenet halitibus.
Iamque iterum caput inclinans anima n exhalavit,
Inque meis humeris triste quiescit onus.
Coniugis ah specto morientia lumina primus:
Nullus testis funeris ante fui.
Vt vidi! vt stupui! vt longum intermortuus haesi!
Eheu! magna stupet cura, loquente leui.
Et surdus dolor, et simul est elinguis, et amens,
Et cogor tanto diriguisse malo.
Et si quam vocem vix profero, luctibus apta est,
Si vox apta meis luctibus esse queat.

ANNA

ANNA, viro nimiumque breuis nimiumque voluptas,
Cura tui nimium longa futura viri.
Carior haud vlli fuit altera nupta marito,
Nec coniux nuptae carior alter erat.
Amborum similisque fides, eademque voluntas,
Et fors communis, par studiumque fuit.
Et flammae aequales, et mens fuit vna duobus,
Inque tuo vixi pectore, tuque meo.
Te mihi meque tibi quae adstrictos vincla tenebant,
Soluere debuerat non nisi sera dies.
Viginti addideras binis natalibus annos,
In primo aetatis flore dolenda viro.
Omnes connubii numeros explere beati,
Dulce decus, poteras, deliciaeque viri.
Vix quod amemus habet terrarum qua patet orbis
Te sine, vix orbis quo capiamur habet.
Te sine, nunc solo spiro, mea vita, dolore,
Exanimatque tuus me, sepelitque rokus.
Vt fumant cineres tam lamentabilis urnae!
Vt iuges oculis eliciunt lacrimas!
Leniet has nulla plagas aetate cicatrix.
Non nisi cum vita desinet iste dolor.
Et quoties parient nuptae, et memorabitur infans
Natus, erit planctus caussaue fonsque noui.
Dum facis esse patrem, cur non sis esse maritum?
Cur querar vnus fato obiisse duos?
Flebilior poteras haud vlllo tempore nobis,
Et prope laeuitia est sic voluisse, mori!
Pendet in hac anima, si nescis, vita mariti,
Arguar et leti caussa fuisse tui.
An paries de me suscepta prole dolores,
Et subiti dicar funeris auctor ego?

Hic dolor immoderatus erit, nec crimine liber,
Coniugis et coniux caussa ferere necis.

Hei bona cur fraudi mihi tam fugitiua fuere?

Cur corpus vasta debile mente fuit?

Non fas est altis confidere dotibus vmquam:

Res laetae minima stantque caduntque mora.

Fortunae nimium ridenti credere noli.

Aura benigna nimis noxia saepe fuit.

Impendent fatis mox fata sinistra secundis,

Grataque sors flendae semina sortis habet.

Egregiis donis hac solum lege potimur,

Vt data mox repetat non diuturna dies.

Praecocibus breuis est aetas, mentisque vigorem,

Sit solito maior, rara senecta manet.

Maior amor solito citius rem perdit amatam:

Quique minus gaudet, luget et ille minus.

Ah nimium dilecta mihi nimiumque marita?

Ah nimium coniux cur tibi carus eram?

Paene erat optandum minus vt laudanda fuisses:

Inuitus laudes audio paene tuas.

Et virtus dici tua perniciofa meretur,

Eximiaque tibi dote valere nocet.

Praeripuisse aliis palmamque decusque poetis

Qui potes, has laudes, qua decet arte, canas.

Quas si quis vatum verbis aequauerit, idem

Aptus erit curas explicuisse meas.

Ast vno propius viduo quis nouit vtrumque,

Quisque minus viduo dicere vtrumque valet?

Num nobis superesse queant in carmina vires?

Proferrī attonito num quid ab ore queat?

Nec reticere tamen meritū, neque dicere possum:

Hoc prohibet luctus, ceu vetat illud amor.

AN-

ANNA tui quondam fax fulgentissima sexus,
ANNA tuae quondam splendida gemma domus,
Sufficit vna tibi pars illa potissima laudum,
Quae reliquas omnes sola nitore premit.
Quae merito dotes pietas supereminet omnes,
Et quotquot terra repperiuntur opes.
O quoties sanctas rupisti pectore voces,
Signaque mentis erant despicientis humum:
Non ego suspicio locupletis munera terrae,
Non miror fausti ditia dona maris.
O valeant gemmae, valeant et coccus et aurum,
Seu desiderio, seu nocitura metu.
Regna rudes feriant oculos, fascesque, curulesque,
Et sibi res habeant regia sceptras suas.
Illorum dominum venerari, aliumque datorem,
Res est felices quae facit vna diu.
Iamque patet sedes tibi felicissima caeli,
Nec fruere fluxis, post pia fata, bonis.
Teque iuuant semper felices commoda vitae,
Vanaque sunt votis cuncta minora tuis.
Cara Deo, si te non omnis cura salutis
KORTHOLTI potuit deseruisse tui.
Si nondum memori KORTHOLTUS pectore cessi,
Respice me, natos respice, quaeso, tuos.
Et vel vana mihi fingant insomnia viam,
Fallaci votis nocte fauente meis.
Fallimur, an somnus potis est geminare dolorem?
Quid voueo, voti nescius ipse mei?
Ante oculos iterum moribunda puerpera stabis;
Anxius auxilium quomodocunque feram.
In nostris iterum complexibus elanguentem
Te sistet curas nox imitata meas.

Quas igitur viduo spes, quae solatia linquis?
Te sine, nec quid agat, nec quid omittat habet.
An te complectar, colloque super procumbam,
Flebiliterque ANNAE nomina saepe vocem?
Oscula num figat gelidis non mutua labris
Mistus amor luctu, mistus amore dolor?
Hei torus est bustum: maneamne, vel inde recedam?
Ut iubet hoc luctus, sic iubet illud amor.

Vix viduum reuocant plutei: me pagina poscit
Lenimen cunctis vna futura malis.
Dextera quam, memini, mea matutina terebat,
Quum pia deliquium passa marita fuit.
Haec potuit miserum vicino aptare dolori,
Finitimaeque fuit praescia charta necis.
Numinis auspicio Paulus quae scripserat olim,
Numinis auspicio sunt quoque lecta mihi.
Thessalonica meae reddat solatia menti,
Et sancta Pauli scripta tabella manu.
Haec potis est cunctos medicina inhibere dolores,
Viscerum et abstrulos permeat illa sinus.
Grotius ille sui decus admirabile saeculi,
Hac tua, Maureri, maxima damna leuat.
Philosophi valeant prisca, valeantque recentes,
Et lenire malum carmine docta cohors.
Non humana audit noster solamina luctus:
Solandi partes suscipit ipse Deus.
Pauli, diuina rapuit quem Spiritus aura,
Humano mentem dicit ab ore suam.
Et me sustentant diuinae oracula vocis,
Quae nimios fletus continuisse monent:
Ut terrae petit ima, at mox rediuius in auras
It superas Iesus, frustra inhibente rogo;

Sic

Sic vitae quondam rediturae sponfor et obfes
Eripiet tumulis ossa sepulta suis.
Qualis vbi videas radiis se erumpere solem,
Aethera noctis nubila luce premit.

Interea monumenta tibi quae debita ponam,
Vix, mea vita, tibi vixque superstes ego?
Quo tumuli pompam? quo tristia dona dolentis?
Pectore eris melius contumulata meo.
Pectore in hoc spirabis, et his infixi medullis,
Vsque tuae species mentis, vt oris, erunt.
Pectore in hoc spirabis, et his infixi medullis,
Donec erit membris vita, superstes ages,
Et grato quondam mea marmore verba legentur,
Quod tua, defuncti quod teget ossa viri:

ACCIPERE KORTHOLTVM, LOBEDANTZIA, ET OSSIBVS OSSA
SINT MEA MISTA TVIS, ET TVA MISTA MEIS.

TE MIHIMEQVE TIBI CONIVNXT AMORQVE TORVSQVE,
ET DOLOR ET BVSTVM ME TIBI TEQVE MIHI.

* * * * *

IN MENSEM MARTIVM
CONIVGI EMORTVALEM.

ANte alios mensis fatalis Martius omnes,
Fons mihi laetitiae, tristitiaeque fuit.
Quo nato fecit me nupta superstite patrem;
Quo primus cecidit fructus amorque tori;
Matris ad exemplum, coniux quo myrtea gessit
Serta, deditque fidem, quam prior ipse dedi;
Hoc, cum matre, toro tumulū, myrtoq. cupressum,
Et terrae praefert astra, viroque Deum.

* * * * *

AD
3

AD INFANTES
CHRISTIANVM,
ET

CATHARINAM MARIAM.

Esexu proles dilecta superstes utroque,
Quae matri debes, conciliasque decus.
Aut mea progenies iucundo mascula risu,
Si potes, aut planctu maxima damna leua.
Quaeque meis vagis, suauissima filia, cunis,
Diminuas patrios fletibus orbatuis.
Ah natos spectare vocat solatia quisquam,
Qui viduo luctus causa recentis erunt?
Et color, et species, et vultus, et omnia matris
In mentem reuocant lumina et ora mihi.
O non felices; quorum (sic fata iubebant)
Naturam solum cura paterna iuuat!
Lumine quae natum poterat rexisse deserto,
Amplius haud nutu verba loquente facit.
Et nutus oculis, et desunt verba palato,
Maternasque pater cogor obire vices.
Et pro maternis modo circumferre paterna
Cogor, ut irriguas ora bibant lacrimas.
Scilicet haec viduo linqvis solamina, coniux,
Et sobolem miseri spem patris esse putas?
Anne ideo simili nuper te prole nouasti,
Debeat ut plagas usque nouare meas?
Fallimur, an tabulas ventis undisque solutas
Naufragii scopulus conspicio ipse tui?
Hei voluo attonito curarum in pectore fluctus,
Iamque truces feriunt ora natantis aquae.
Non locus auxilio, non spes super vlla saluti est:
Fallor, an infesti me obruet ira maris?
Reliquias tristes laceratae nauis, et istas
Ne tabulas nanti subtrahe, quaeso, Deus!


† † †

33


LBMV Schwerin

000 314 889





NEQVE T
 AB INGEN
 AVT AB ART
 QVIN POTIVS A
 ET A DOLOR
 EXIGVVM HOC MAGNI AM
 MAESTI
SEBASTIAN V
 PHIL. MOR.
 CVI ACER
 OMNI AQ
 ET IC
 PLANE I
 EX QVO IDEM CVM
 NON SOLVM ANNAM C
 SED ETIAM FLENSB
 ANNAM GVDIAM, MA
 KILONII ET IPSAM MATR
 ROSFOCHII
 LINDEMANNAE SORORIS SV
 IDEOQVE TRIBVS AN
 QVATVOR
 FVNERAQVE FV
 ET LACRIMIS SVIS ET
 ABI
 ET HOC NIMIAE FRAGILIT
 VITAM NOSTRA
 ET E MOMENTO PE
 DISCE, VEL SECVNDIS
 QVVM CERTA MORTIS
 PROINDE TOTA VITA
 VT IN
 NON TAM VI
 QVAM MO
 CO



SSENIA
 NDIAM,
 IS INSIGNE;
 DESIDERIVM,
 T FLETVS.
 DOLORIS MONVMENTVM
 OSVIT
RTHOLTVS,
 EOS PROF.
 DLORES
 TALIA,
 TICO
 KERE,
 TVM EXPERTVS,
 I SIBI VITA CARIOREM,
 AM DEFVNCTAE,
 CO SIBI DILECTAM,
 M OPTIMAM ANNAM,
 ANNAM,
 M VNICAM ET NVBILEM,
 DVM CIRCVMACTIS,
 AMISIT,
 CVMVLATA
 PROSEQVTVS EST.
 MANAE EXEMPLO DISCE,
 VISSIMO FILO,
 AETERNITATEM.
 ORTVNAM VERERI,
 HIL SIT INCERTIVS.
 ITATIO SIT MORTIS,
 RE
 M MORTE,
 VM VITA